

2465

A S C E T I C I.

2466

Monacho adtribuerit, nisi *Gallum Matthaei* fortasse praenomen gefisse dicas. Magnum *Malogranati* usum fuisse apud Religiosos et vere devotos testatur *Tribemius*, idque, ut recederetur, aevo suo *Balbinus* optavit, quod editionum, quae feruntur, annor. 1476. 1481 et 87. vix ulla Exemplaria superesse viderentur.

DCXLIII.

398

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 189. 4. probe scriptus, Frontispicioque et literis Capitum initialibus auro fulgidis et picturatis *Asceticus* est, et ita orditur: *In Nomine sancte et Individue Trinitatis. patris et filij et spiritus sancti Amen. Prologus In Orationarium In vita domini nostri Ihesu christi. Initium: Sepe rogatus sum ut quomodo simplex Religiosus debeat potissime quantum ad interiorem hominem se habere, et tempus quod extra necessarias occupationes sibi restat, ad laudem dei et salutem anime expendere aperirem &c.* Multos doctos et expertos hoc ante se egisse, sed confidere se in illo, qui per asinam olim veritatem locutus est &c. Sequitur *Intentio*, sive Methodus operis; suadetur scilicet sacra lectio, meditatio et oratio. *Et quia à principali debet res denominari Et hic libellus principaliter de orationibus ait — Ideo vocetur Orationarium &c.* Succedit Elenchus Capitum XXXVII. quae de praecipuis Religionis Christianae et Vitae Christi Mysteriis ita tractant,

ut in singulis *Meditatio* praecedat et *Orationes* una vel plures eam excipiant. Ita *Capitulum primum De Cogitando Deum* incipit: *Quia Incarnatio, Natiuitas, conuersatio in mundo, Passio, Resurrectio, in celum ascensio, domini nostri Ihesu christi, et spiritus sancti missio sunt cause nostre resurrectionis et glorie &c.* Finis totius operis: *et sine fine gratias referentes sanctissime Trinitati simplicique deitati feliciter regnaturi. Quod ipse infinita tua benignitate nobis praestare digneris, qui cum eodem patre &c.* Omnia pia, verum nihil eximii. *Autorem*, in cuius Nomen frustra inquisivi, monastico cuidam Caetui adscriptum e *Prologo; Codicem* vero auspiciis Principis *Austriaci* exaratum fuisse e *Scuto Gentilitio* in fronte adpicto liquet.

DCXLIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 450 Folior. 225. 4. non una manu exaratus Sequentia complectitur: I. *Adnotata* quaedam *Ascetica* de Exercitio Facultatum Animae, de XV. Causis prolabantis Observantiae Claustralis, in quibus est *Parochiarum incorporacio*, de Mediis Observantiam stabiliendi, et pauca e D. *Bernardi* Operibus excerpta.

II. fol. 4. p. 2. *Passio anatholie virginis* sequitur. Initium: *Temporibus decij cesaris erant rome sacratissime uirgines christi Victoria et Anatholia, que ab ipsis fuerant cunabulis christiane &c.* Abstineo pluribus; Acta enim haec olim ex eod.